



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

Vtrum debemus pro beneficio cui successit iniuria. ca. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

magis delectat, ab hominibus captant gloriam, & a deo non accipiunt mercedem, debitaque virtuti præmia amittunt, dum quicquid recte laudabiliterque egerint, vanitati tradunt, & non in eum finem, in quem debent dirigunt.

Vtrum debemus pro beneficio cui
successit iniuria. Cap. XXVI.

Quid, inquit aliquis, si post beneficium acceptum affectus sim iniuria, debeo ne aliquid pro beneficio? Non videtur mereri gratiæ relationem, qui beneficium suum consequenti corruptit offensam. Itaque non eris ingratus, si ei beneficium non reddideris, qui quantum intulerat boni, tantum postea mali irrogavit. Intuendum igitur minor ne an maior sit iniuria quam beneficium. Minoris enim iniuriæ obliuisci debes, & memor esse beneficii. Cum vero maior vel par fuerit offensa, obligatione beneficii absolutus est, neque gratiam debes illi, quæ gratiæ meritum lædendo amisit. Iniuriam tamen omnem, quæ tunc fuerit, remittere debemus, nec vindictam appetere, pro eo quod ait: Dimittite, & dimittet vobis. Sed si condonata est iniuria, inges, cur non manet beneficium? Iniuriam remitte, ne deum offendas: beneficium reddere super se, si ita tibi expedire videbitur, ne homini qui non meretur gratiam referas. Alioquin qui sine causa ingrati sunt, quibus nulla lege puniantur, deum tamen habent ultorem. Agar ancilla beneficii immemor quod acceperat, dominam suam, pro affectu: ob hoc electa cum puero quem genuerat, famem simitque pertulit pro culpa. Absolon patrem, cui charissimus erat, a quo fraternæ cædis veniam acceperat, regno pelle re moliebat, sed tantæ ingratitude scelus merita nece persoluit, relictis confossus inimicorum. Nabalis in Davidem ingratitude, de summis diuitiis ad summam ipsam redegit paupertatem, nisi vxor eius Abigail multis oblati muneribus pro illo satisfacisset. Scias igitur deo atque hominibus pariter iniuriam eum qui ingratus est, tantoque magis si pro bono malum reddit. Tunc enim non solum ingratus est, sed etiam iniurius.

Libri V. finis.

Agar.
Gen. 16.

Absolon.
2. Reg. 18.
Nabal.
1. Reg. 25.